

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1108

1106

1112

1102

1117

1097

1057

1007

0607

0107

Ende

Anfang

535

Notanda pro intellectu Scripturae.

Quarta die, quae est beati Francisci confessoris, mane ante lucem ab Hanada recessimus descendentes per latissimos et aridissimos campos super mare rubrum, post longum autem et taediosum descensum venimus ad quaedam montana, ad quorum radices mare rubrum linguam extendit ibique finem facit, et circa illum maris terminum est etiam unus portus, ad quem naves applicant. In illa hora absolutus fui a magno dubio, quod in me habui per totum iter. Certus enim fui, nos venturos de deserto in terram Aegypti, sed quomodo per mare rubrum essemus transituri, cogitare non potui. Putavi enim, quod mare rubrum continuaretur mari mediterraneo, ex quo filii Israel mari transito in desertum venerint, nec Christianis aliam viam esse a terra sancta et de monte Synai, nisi per brachium maris rubri, per quod exierunt filii Israel de terra Aegypti, nec posset aliter fieri, si mare rubrum cum mari mediterraneo esset junctum, sicut putabam. Sed mirabar, si non potest esse egressio in Aegyptum, nisi per mare rubrum, quomodo est, quod Scriptura sacra nihil loquitur de hoc, cum multi legantur descendisse de sancta terra in Aegyptum et ascendisse, nec sit mentio de mari rubro, nisi quando filii Israel egrediebantur? Et si alia via potest de Aegypto transiri ad montem Synai, quare filii Israel traducti fuerunt per mare insuetum iter, et non per terrae stratum commune? Hoc dubium hodie experientia solvit mihi, nam mare rubrum non condependet mari mediterraneo, sed magnum spatium, multa montana intersecant et inter utrumque via communis est a terra sancta in Aegyptum sine transitu arcus maris, et illi, qui de Aegypto ascendere volunt ad montem Synai, transeunt hoc medium et ad litus maris rubri adscendunt sine transnavigatione maris. Si autem mare rubrum non esset, tunc in terra Aegypti ascenderent usque ad oppositum montis Synai et multo propinquiorem viam haberent quam sic gymando caput maris. Eduxit ergo Dominus filios Israel de Aegypto propinquissima via contra montem Synai per brachium maris quasi ex opposito montis Synai et pepercit populo, ne circuitus facerent, sed citius ad montem Dei venirent et ut

